

DEO DUCE ET AUSPICE

# DISPUTATIO PHILO- SOPHICA

THEOREMATA QUÆDAM MI-  
SCELLANEA EXHIBENS,

QUAM

Divinâ favente Gratiâ

*Ad tenorem Constitutionum Academicarum mandatumq;  
Amplissimæ facultatis Philosophicæ in inçlytâ ac Re-  
giâ Academiâ Aboensi.*

SUB PRÆSIDIO

VIRI Præclarissimi

M. AXELII Kempe/ Politices & Historiarum  
Professoris Publici Celeberrimi, Præceptoris  
atq; Promotoris sui officiosè colendi.

*Pro consuetis in Philosophiâ honoribus obtinendis can-  
dido Eruditorum examini submittit*

GABRIEL E. FORTELIUS Bothn.  
S. R. M. Alumnus.

*Ad diem Martij in Auditorio Maximo  
Ann: MDC LXVIII.*

---

A B O Æ,

Impressa â PETRO HANSONIO Acad. Typog.

REV. JOHN H. ...

# DISPUTATIO PHILOSOPHICA

## THEOREMATICA QUADAM DE SCIENTIARUM ...

AVCTORE  
D. ...

...  
...  
...  
...  
...

...  
...  
...  
...  
...

...  
...  
...  
...  
...

...  
...  
...  
...  
...

---

...  
...  
...  
...  
...

Theorematum eorum quæ in publicum producere animus constituit, hoc nobis Divina favente gratiâ primum erit

## GENERALE.

*Propositiones in Philosophiâ veræ nullibi sunt falsæ.*

**V**eritas est vel *Rei* seu in *essendo* quæ per congruentiam rei cum intellectu Divino describitur. tunc enim res veræ dicuntur eum intellectui potissimum divino sunt conformes, sive cum tales existunt quales ipsa veritas ac perfectio Deus eas produxit. Vel in *Significando* quæ est conformitas signi cum re signata. Vel in *Cognoscendo* quæ in adæquatione conceptuum cum re objectâ consistit. In rebus vero datur aptitudo quædam quâ res sub proprio conceptu intellectui nostro representari, eumq; in cognitione mensurare aptæ natæ sunt. hos conceptus dum rebus conformes concipit mens nostra, functio illa veræ cognitionis laudem consequitur. Est a. hæc mentis functio vel *simplex* simplices rerum species cognoscens, vel *composita* simplicium inter se collatarum habitudinem animadvertens, quæ conceptuum collatio si consentiat cum rebus animum veritate imbuat, sin minùs secùs fit. Jam dicere aliquam propositionem esse veram in Philosophiâ, nihil est aliud quàm contestari illam exprimere veros Philosophi conceptus de re quæ se conformitèr habeat ad intellectum divinum. Undè ita argumentor: Quod veros Philosophi conceptus de re quæ se conformitèr habet ad intellectum Divinum interpretatur id nullibi est falsum: Propositiones in Philosophiâ veræ, veros Philosophi conceptus de rebus quæ se conformitèr ad intellectum divinum habent, interpretantur E. Propositiones in Philosophiâ veræ

nullibi sunt falsæ. Ratio majoris est certa: quia veritas tantum una est ejusq; ratio formalis in conformitate cum intellectu divino consistit cum quo ut norma seu mensura infallibili quod concordat verum est nec falsum esse potest. Mioris certitudo radiat quod propositiones in Philosophiâ ideo veræ dicuntur quod verorum conceptuum sint nunciij, conceptus indè veri judicantur quia rebus ipsis conformantur, res verò sunt quæ divino Architypo ad cujus intellectum sunt productæ congruunt, E. effata in Philosophiâ veros conceptus notificant, conceptus verò res divino intellectui conformes. Quod enim divino intellectui ut veritatis normæ ac mensuræ est conforme, illud eidem difforme non est. Impossibile est ut aliquid Dei intellectui simul sit conforme & difforme eodem respectu, cum simul esset & non esset quod absurdum. Constat igitur quod non sit duplex eaq; opposita Veritas.

## LOGICUM.

*Prima figura Syllogismorum Simplicium Evidentissima atq; perfectissima est ad quam reliquæ reducuntur, hæc vero ad illas non.*

Pro triplici directâ concludendi ratione aptâq; partium quæstionis cum argumento tertio dispositione, tum etiam pro magis naturali & congruâ propositionum enunciatione in tres figuras Syllogismos simplices colligunt Logici, quarum primam figuram Generalissimam evidentissimam atq; perfectissimam esse certissimè constat. Materiam enim habet hæc figura generalissimam, circa omnis generis quæstiones Universales, particulares atq; proprias occupata. Evidentior & manifestior est ejus consequentia, quippe immediatè & ipso actu fundata in dicto de *omni* & dicto de *nullo* principijs omnium hominum mentibus naturalitè insitis, quo.

quorum etsi reliquæ quoq; figuræ processum omninò ser-  
vent, obscurius tamen nonnihil & mediatè quatenus ad pri-  
mam reduci possunt hæc dicta in se continent. Deniq; per-  
fectior est & magis naturalis, aliarum figurarum non indi-  
ga adminiculis, sed suâ bonitate contenta reliquis facem  
præfert, dum istæ ad hanc reducuntur, non quidem ad susci-  
piendam consequentiam & illationis necessitatem, quip-  
pè quæ omnium figurarum communis, sed ad meliorem  
necessitatis apparentiam illustrationem & manifestationem  
consequendam, quæ in reliquis figuris non æquè conspicua  
in prima autem figura est evidentissima.

### METAPHYSICUM.

*Suppositum & Persona perfectissimè subsistunt, quorum  
formalitas in ultimata & incommunicabiliter subsi-  
stendi ratione consistit.*

Substantia singularis unitate numericâ determinata vel  
*purè & absolutè* spectatur, abstrahendo à certo modo subsi-  
stendi & prout præscindit à substantiâ completa. Vel *speci-  
aliter & modificatè* quâ sub certo statu & ultimata subsistendi  
ratione spectatur. Prior consideratio communem substan-  
tiæ naturam proponens omne quod per se revera proprium  
esse habet, nec alij tanquam accidens inhærens est comple-  
ctitur. Posterior Substantiam ratione status sui exhibet &  
cum modis, Substantiam non qualemcunq; , sed eam quæ  
habet ultimum subsistentiæ complementum, quæq; termina-  
ta est non solum in essendo sed etiam in subsistendo, atq;  
ita *Suppositum & Persona* substantia dici solet, quæ voces ab-  
stractè spectatæ *Suppositivitatibus & Personalitatibus* nomine expri-  
muntur modisq; subsistendi perfectissimos denotant. Ho-  
rum modorum formalitas est per se & incommunicabiliter  
subsistendi ratio, quæ addita substantiæ singulari suppositum

& personam constituit. Per incommunicabilitatem hic non remouetur communicabilitas universalis, cum hæc voce singularitatis jam antea expiret, nec communicabilitas ad aliquam naturam ut eam terminet; Suppositum enim quæ tale potest aliud terminare modò ipsum aliundè non terminetur. Sed dicitur suppositum incommunicabile quia 1. non habet aliundè dependentem & communicatam substantiam, si enim ab alio ulteriorem terminum accepisset quod ultimò terminatum est, contradictio esset. Quia 2. suppositalitatem suam alij supposito non communicat, nisi illud inprimis suam amittat. vid: Fromm: Metaph. p. 2.

## PHYSICUM.

*Animæ & corporis vinculum seu immediatum animæ subjectum calidum innatum est, quo absumpto & extincto mors insequitur.*

Dari calidum innatum seu spiritum insitum viventibus proprium omnium Philosophorum & Medicorum unanimis probat consensus, veritatem rei ostendente ipsâ naturâ & experientiâ. Per calidum innatum non ille calor qui mixto quatenus mixtum est competit, intelligendus, sed viventibus proprius. Cum enim formæ animatorum nobiliores sint formis inanimatorum, & nobiliores ac præstantiores actiones quàm inanimata edant: nobilius etiam & nobiliori modo dispositum subjectum & domicilium requirunt. Ideoq; non saltem illâ temperie quæ mixtis simpliciter convenit opus est; sed inprimis calido & humido innato in quibus vita animatorum consistit, instructum sit oportet. Hæc enim duo proximum animæ domicilium constituunt. Et quanquam forma informet totam suam materiam cui inest: tamen fere una pars subjecti est, dicit Sennertus Instit. Medic, lib. 5. ob quam reliqua materia propria suæ formæ

redditur & quâ intereunte forma reliquam materiam deserit, id quod manifestum est ex animalibus, quorum corpora nisi calore vitali perfusa sint amplius aptum animæ domicilium non sunt. transfunditur hoc calidum unâ cum semine cuius est nobilissima & præstantissima pars, estq; præcipuum organon per omnes corporis partes diffusum quo omnes vitæ actiones obit, & quicquid salutare nobis & utile in generatione, nutritione, morborumq; expulsionem perficitur, exsequitur; id quod ipse sensus indicat quo in homine calorem reliquas qualitates excedere tactu deprehenditur, & experientiâ liquido constat: videmus enim calore præsentæ æ vigente animalia & viventia omnia florere: eodem absente contabescere atq; interire. Quid vero calidum innatum sit quibusve constet dicere difficile est: Per calidum innatum non nuda qualitas sed qualitas cum subiecto intelligitur quod calidum appellatur ab animalibus perfectioribus, quæ ad tactum calida sunt, & quorum actiones calore etiam sensibus obvio perficiuntur. Geminum corpus complectitur dicente Sperlingio *Calidum in specie & humidum radicale*, utrumq; spiritus propter subtilitatem nuncupatur. Cum enim calor ille, scribit Sennertus *Inst: Med. cap. 5.* quasi gubernator vitæ nostræ esse debeat in humido stabili ipsum consistere oportebat ut vita diutius protrahi posset, humido videlicet non tenui & aqueo, sed pingui & oleoso quod partium similarium staminibus atq; fibris infixum est, humidumq; radicale appellatur: Estq; calidum innatum humidum primigenium insito spiritu & calore undiq; perfusum. De origine autem calidi gravis à Philosophis agitur controversia, An sit Elementaris an vero alterius naturæ? Non nisi unum specie calorem dari magna pars Philosophorum contendit, qui ratione diversorum subiectorum accidentaliter variet, purè Elementare non esse omnes Aristotelem sequuti, &

Medici celeberrimi dicunt, admirandas hujus operationes & egregios effectus perpendunt. Nobiliores actiones, Sympathia & Antipathia dantur quæ simpliciter ab Elementis proficisci non possunt, ac præterea hoc calidum spiritusq; hic insitus in plantis tempore hiberno etiam in frigore imò in ipsâ glacie, salvus & incolumis persistit: conjunctum tamen est cum Elementari calore ut seorsim ab eo ferè reperiri nequeat, inquit Sennertus, mutuoq; se intendunt, & præterea ab Elementis instauratur. Ergo si concedatur esse hoc corpus Elementare illud cum celeberr: Sennerto Inst: Med. lib. 1. Cap. 5. dicendum habere suam essentiam à peculiari formâ à quâ ejus præstantia nobilioresq; actiones proveniant. Non autem calidum semper in eodem statu permanet, sed ætatis decursu mutatur. Calor qui in prima ætate maximus est sensim absorbit humidum illud radicale pingue & oleosum, ideoq; subsidio quodam opus habet, ut particulae decedentes instaurentur & vitæ simul atq; operationum fiat prorogatio, quod fit à corde per spiritus influentes perq; alimentare humidum. Quò ergo magis ab absumpto id quod restituitur sinceritate recedit, eò accelerari citius mortem certum est. Hinc viventi moriendi imposita necessitas.

## ETHICUM.

*Vindicatio seu ultio quâ delicta pro meritis corriguntur actus est justitiæ commutativæ non distributivæ.*

Objecto justitiæ Distributivæ & Commutativæ, tum proportionem quâ æquitas utriusq; metitur, probè consideratis evidentiâ Theorematis liquidò constabit. Cum enim illa pro objecto habeat res quæ sub distributionem cadunt, utpote præmia sive omnia quæ cuiquam debentur quatenus membrum alicujus communitatis est, rectè in ea observatur proportio quam habet una persona ad aliam respectu rei tradendæ.



dendæ. *Commutativa* a. circa permutationes, contractus resq; cæteras occupata, quæ privato nomine & quovis alio quàm publico jure alicui competunt proportionem & æqualitatem rei redditæ & acceptæ, mercis & pretij, pœnæ & delicti unicè intendit. Præmia publica sicut ad totam communitatem pertinent, ita etiam ad singulos cives eatenus spectant quatenus ejus partes & membra sunt. Quicquid ergo præmij publico nomine confertur id majus minusve erit prout majores aut minores cujusq; in Republicâ partes sunt. Undè in *Distributiva* regnat proportio Geometrica quæ personarum involvit respectum & ex dignitate cuiq; tribuit. Pœnæ a. non sunt aliquid quod sub distributionem cadat & rectè dicuntur infligi aut irrogari non distribui; nec communes sunt nec esse debent omnibus civibus quâ cives, sicut est pecunia publica, præda, honores & dignitates quas Respublica confert. Insuper pœnarum inflictio proportionem geometricam planè respuit quæ pro inæqualitate personarum inæqualia distribuit præmia. Quod si Geometricè delicta punienda sunt, jam pro eodem delicto Nobilis & liber acrius, ignobilis & servus mitius puniendus esset quod absolum. Adhæc distributio justa esse potest etiam ubi unusquisq; non consequitur tantum quantum merebatur, sed quatum ex summa distribuenda pro loco & dignitate percipere potuit. Ita vero pœnarum irrogatio nec fieri debet nec potest: semper enim pro meritis irroganda pœna nullo habito per se personarum respectu, qui si huc accedere interdum videatur fit id per accidens. Suppliciorum diversitatem personarum propriè respectus qualis in distributivâ attenditur non inducit; sed *προ ἀρεσῆς*, & præsumptio major vel minor *προ αἰσθησῆος*, ipsaq; culpa quæ ex hisce vel aggravatur vel elevatur. Vid: Præclariss. D. Kemp; & Hor-  
náj:

# POLITICUM.

## *Imperandi potestas summa à natura est.*

Cum homines ad socialem vitam naturâ dictante adigantur: *Ξῶν γὰρ πολιτικὸν τῇ φύσει ἔστιν ὁ ἄνθρωπος* inquit Arist: quemadmodum & principia illa: honestè vivere, neminem lædere suum cuiq; tribuere hominem manifestè inferunt societati: Ipsa autem societas seu hominum multitudo sine rectâ gubernationis forma spectata, materiæ indigestæ rationem habeat, sineq; eâ conservari non possit; appetitu velut naturali ducitur pro perfectione adipiscendâ, quâ ut sua forma induta ad politicæ beatitudinis scopum aspirare confidit. Hæc a. forma ipsa *Respublica* est seu civitatis administratio, quæ partim in potestate seu imperio, partim in subjectione seu obedientiâ fundatur, quorum alterutro sublato *Respublica* pessum it. Imò summa potestas quæ potissima *Reipubl.* pars est & fundamentum regiminis cum republicâ recipitur. Hinc homines à natura Deo principalitèr constituyente, necessitate & indigentia stipulante summam potestatem quæ collectæ multitudini necessaria & utilis, intendere concludimus. Porro in diversis mundi partibus imperandi & obtemperandi leges conspiciuntur, dum homines brutis dominantur, bruta inter se ordinem servant, apes suo obtemperant regi. Imò minor mundus gubernationis & subjectionis diversitatem intra se continet, cum animus corpori præsit, intellectus appetitum ducat, voluntas affectus inordinatos suo imperio frænet, & rationis dictamini obtemperare faciat. Præcipuè a. minores societates ex naturæ ductu hanc distinctionem observant; Uxor marito, liberi parentibus, servi dominis parent. Hæ autem partes civitatis sunt quæ ad eandem integrandam ordinantur & *finem* suum qui est benè beateq; vivere consequi

sequi amant, quo civitas sine Republicâ ut forma & sine in-  
terno sibi introducto perfrui non potest. Ergo & Rempu-  
blicam & per consequens Politicam potestatem quæ de Rei-  
publicæ essentiâ est à naturâ intendi palam est.

*Gloria sit Patri, Nato sit gloria, Sancto  
Gloria spiritui, Triadi sit gloria Sacra.*

*Humanitatis & virtutis studijs perpolitio Juveni*  
DN. GABRIELI ERICI FORTELIO Philosop. Candida-  
to doctissimo, Disputationem solennem publicanti, amico per-  
dilecto debitos honores gratularar.

**F**ortelium in patrias bene natum viderat artes.

*Pallas & extincto dixerat ista patre:*

*Hem meus iste puer licet orphanus ibit Aboam,*

*Et referet Clarij munera magna chori.*

*Illic avus, celebrisq; parens docuere juventam,*

*Quæ studijs nati prospicit atq; favet.*

*Hæc ait: Abodiam juvenis concessit: ibiq;*

*Proficit in sophicis Fortelius studijs.*

*Et modo quæ dixit Pallas, sunt vera: coronam*

*Castalides capiti necesse jure parant.*

*Cætera succedant, cecinerunt fata: manebunt*

*Fortelij in terris nomina clara. VALE!*

*Lubens meritoq;*

MARTINUS MILTOPÆUS

E. P. P.

---

*Ad Praestantissimum DN. CANDIDATUM*  
GABRIELEM ERICI FORTELIUM, Affinem su-  
um honorandum.

**Q**ui vult excelsum doctrinæ scandere culmen  
Digna; virtutum præmia suscipere.  
Multa ferat, faciat, sudet mox algeat ille  
Scilicet ad Musas non datur ampla via.

Difficile est, quidquid pulchrum est: præstantior inde  
Cui graviora placent, cui leviora iacent.  
Quo magè quid durum magè pulchrius illud, honorq;  
Hoc adtentanti, clarior esse solet.  
Sic est; alisti, sudasti, multa tulisti,  
Hinc capias studijs præmia digna tuis,  
Gratulor; atq; novi cedant tibi prosperè honores  
Fausi sintq; tibi, complacentq; Deo.

L. M<sup>z</sup>

MAGNUS L. BROCHIUS.

---

*Ad Præstantissimum DN. CANDIDATUM*

Fortunam immerito illi conqueruntur, quibus melior natura facultatem ipsi  
ipsum implendi, quod deterior fors negavit, plenâ suppeditavit manu. Certe  
illi merito suo privandi, qui, dum iniquior & pertinax paulo inturgebat,  
sefe ultrò demittant, & consilium pariter cum re eripi patiuntur. Etsi enim fas  
teri licet, quod non minimas struat insidias & machinas, turbinibus & fluctibus  
bene multis raptatur & obruitur, præsentiaq; & excellentia quæq; ingenia torquet  
agitatq; ; tamen ubi pleno & prudenti in illam insurgitur consilio, solertiaq; in-  
dustri irruptiones & impetus ejus excipiuntur, palmam consilio dabit, & in pos-  
tèratem veniet ultro, ac quiescet. Veritas & ipse in exemplum Præstantiss. Dn.  
CANDIDATE, amice ac patriota honorande, quantis luctatus sis difficultatibus  
& fortunæ jaculis expositus; quot sevitia suæ in te extate fecit documenta? Vis  
debatut tota in perniciem tuam jurasse. Nam vix pueritiam egressus Parentum  
Charissimorum descebas vices, paulo post etiam tuorum destituebaris auxilio &  
consilio. Tu non tamen destitisti naturæ bonitatem sequi, & inter tot difficilis-  
sates assidue pertendere, quin spretis semper omnibus Novercantis fortunæ ludis-  
brijs, Deo unice confisus, victor tot molestiarum omnium tuorum applausu  
jamjam gloriari potes. Ergo quo te virtus & conditio vocant; fruire nunc  
svavissimo Sophiæ virginis augustæ amplexu, cujus sedulus hæcenus exististi pro-  
cus. Lætaberis sincerè te nuptias ejus haud frustra ambuisse; ipsa opum dives  
beabit te dote magna. Gratulor itaq; has animi delicias opesq; virginis Augus-  
tæ! Quas inter felicia muneris Auspicia, cum patriæ commodo, insigni tuor-  
rum gaudio, & proprij nominis honore, ut ritè explicare, atq; in conspectum  
dare queam, ardentibus ego votis Optimum & Maximum sollicitare haud delis-  
nam. Vale & me amare perge.

ZACHARIAS O. ULHEGIUS

Bothn.